

# CUPIDO LEGUM LECTORI, FORIQUE PATRONO

*DON FRANCISCUS ANTONIUS CAMPILLO , ET TARINUS,*  
*Regis à Consiliis , & Valentinus Fidei Quasitor,*  
*S. P. & F.*

## CARMEN DICOLON.

**E**Ditio magni quam vellem , Lector habères,  
Ditior est aliâ , nobiliorque satis.  
Posthuma nam nexu copulantur Scripta priori;  
Omnibus & numeris exit arâta locis.  
Excussamque Valentinis jam deniquè Prælis,  
Ambiat hinc avidus sponte , legatque Sophus.  
Fama Dominguezî celebris : quoquè fama Bolaños;  
Hi Ditionis honos : hi Patriæque decus.  
Claruit hic studiis , extrèmos missus ad Indos:  
Ille Senatòris functus honòre , magis.  
Hesperix Legum , vario pro tempore rerum,  
Ambo fuère micans jam jubar , atque pharus.  
Quisque , insigne jubar , vasto respundet in Orbe,  
Luce suâ allustrans , luxque perennis erit.  
Ex illis hominum mentes illabitur intra;  
Ac abeunt tenebræ luce potente procul.  
Juris Iberòrum clarescunt lumine tanto,  
Et Placita imperii : Scita vigòre manent.  
Sic ad Opus quondàm curâ gliscente duorum,  
Ingenioque pari , dant sapientèr Opus.  
Lectio dulcis erit , mentem cum ditet abundè;  
Dives opum Juris , ditat in Orbe docens.  
Accumulat quot opes ! Opibus quot dives abundat !  
Sic pretiosa nimis prodit ab hisce Typis.  
Ingenii recolens aciem , hic acuensque Juvènta,  
Jus ea dicentis optima , in aure fluet.  
Excipias mea vota velim , benè arâta legendo;  
Crede mihi , haud multo tempore dives eris.  
En speciosæ apicum formæ , specieque decòræ.  
En procul à nævis Charta reapse nitet.  
Undique tot Legum placita , ac tot Scita redundant.  
Hoc decus Auctorum : gloria major Eis.  
Antiquusque labor , priscis celebratus ab annis,  
Terque , quaterque viget , plusque nitòre valet.  
Utile semper opus bonitate , ferequè necesse;  
Dexteritate docet : recta , reflexa facit.  
Jure quidèm merito sic stat veneranda Senecta,  
Tot , variisque , bonis ritè polita modis.  
Sæpè manu versa nocturnâ , Sæpè diurnâ  
Ex animo , quisquis Juris amâtor eris.  
Sic benè de meritis meritus contingere metam;

Muneribusque Fori dignus & esse potes.  
 Atque inter magnos Proceres, primosque Togatos,  
 Non sine honore tuo, nomen habere, & opes.  
 Ante oculos verò Sacra sint tibi dogmata semper;  
 Doctrinamque Patrum sit quoque velle sequi.  
 Sana viget, vigeatque diù, duretque per avum.  
 CAROLUS id fecit: Regia jussa dedit.  
 Famigerata magis, quanto plus Principe digna;  
 Nam Scheda munifici munera Regis habet.  
 Quæ laudanda nimis, purum cum dogma tuetur;  
 Non sine perpetuâ laude, per illa jubens:  
 Inclyta Doctrinæ rutilantia LUMINA BINA,  
 In Regno Studiis præficienda fore;  
 Tantis LUMINIBUS Studia in contraria quæque,  
 Tollenda è nostris finibus, atque Nova.  
 O Bonitas Regis! quâ Majestâte refulget!  
 O Pietas animi non celebrata satis!  
 Marmore quæ terso sæclis cælanda futuris,  
 Ne pereat cunctis vivida temporibus.  
 Immortale decus, pro Religionis honore,  
 Optima tot Regi pignora sacra dabunt.  
 CAROLUS ex animo dicat, hæc sua dona ferendo,  
 Ut pius, & Princeps, Numinis ante thronum.  
 Vivat in æternum, multos regnetque per annos;  
 Ac vivat felix: laus Sibi jugis erit.  
 Jam per Eum Germana Aquilæ, Angelicque Magistri,  
 Nostra replet claro lumine Gymnasia.  
 Ambo sequamur, ovans quos tanto Ecclesia laudat;  
 Ambo Scholis, & Ei grande dedere decus.  
 Eja vias tot per rectas æquique, bonique,  
 Æquus Causarum ritè Patonus eat.  
 Famigeræ lites fileant, strepitusque recedant;  
 Justitia est constans, datque cuique suum.  
 Quisquis jura colis, benè non nisi parta tuere;  
 Inque Foro, & extra, non malè fida cole.  
 Sic equidem comitante Duces bonitate, sequeris;  
 Ac pluris facient te, & tua quæque Fora.  
 Interea BERNI studio, curisque secundis,  
 Omne & in Orbe Forum curet ubique frui.  
 Dumque meum est illi permultas reddere grates,  
 Candide tu LECTOR, fausta precare. Vale.

*Valentiæ Edetanorum 25. Junii 1770.*